Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1943

Quelle:
Copyright:

perſcriberet ſententiam, maluit ille (corruptus, ut audio, munere) conciliationem quandam inter Chriſtum et Belial inſtituere, quam damnatione dogmatis (eam etiam in Colloquio Wormatienſi Cod. DCCCLXVI. relato, ſaltem expreſſo Oſiandri nomine recuſavit) *animos exculceratos magis irritare, et occaſionem euomendi nouas execrationes dare. Sed Princeps abutens hac conciliatione ſimpliciter affirmat, ſe ex Brentij ſcriptis intèlligere, quod dogmata Oſiandri omnia approbet et vera atque pia iudicet* &c. et plura in hanc ſententiam. Extrema de Novis *Germaniae* agunt. *Hoppii* et *Sartorii* Articulos vide, ſi lubet, in *Joecheri* Lexico, fontibusque ibi indicatis.

Fol. 4. Literae *Franciſci* I. Regis *Galliae* ad Principes Proteſtantes Germanos, qui per Legatos apud eum interceſſerant, ne ſupplicia de Lutheranis in ejus regno ſumerentur, datae: *A Viricon* (ſic) *ſur ſeyne XIX. feburier. Anno* 1545. hoc initio: *Tres illuſtres Princes et Eſtats, Nos tres chers et grands amys. Salut. Eſtant dernierement vos Ambaſſadeurs aupres de nous, ils nous parlerent de voſtre part du meſme propos, dont par vos lettres du 2e. de ce moys* &c. Rogat illos, ne ſe internis Regni ejus negotiis miſceant, *Vous aduiſant, que nous auons deliberé a faire garder et enſeigner les Saincles ordonnances, Couſtoumes, conſtitutions qui y ont eſte obſeruez du temps de nos Predeceſſeurs Roys, et faire tresbien punir et chaſtier ceulx qui y contreuiendront et les transgreſſeront, choſe toutefoys qui n'a rien commun a notre amytie* &c. Ita, qui domi cremabantur, aut in furcam agebantur, fovebantur alibi gentium. Addit Rex aliqua etiam de Pace cum Caeſare inita, cum Anglo ineunda.

Fol. eod. p. 2. Edictum *Joh. Friderici* Ducis Electoris *Saxoniae* ad Senatum *Vittebergenſem* datum: *Torgaw Sontags nach Johannis Baptiſte. Anno* 1546. quo jubet ob impendens Bellum Religionis armari, et praeſto eſſe ad ſuum aut Praefectorum ſuorum mandatum. Init: *Wyr geben euch zu erkennen, das wyr auſs vielen Statlichen vnd glaubwirdigen Zeittungen, ſo teglich an vnſs gelangen, Auch ſunſt in erfarung khommen* &c.

Fol. 6. Literae datae a *Joh. Pfeffinger, Alex. Aleſio, Joh. Forſtero, Ge. Majore, Phil. Melanchthone, Dan. Greiſer, Caſp. Leimer* e vicina Saxonia, *Idibus Februarii. Anno* 1555. *Venerandis Viris eruditione et virtute preſtantibus, paſtoribus docentibus vocem Euangelij incorruptam in finibus Bohemiæ et Luſatię. Amicis ſuis* &c. Ducentos circiter, referente *Sleidano* L. 25. Eccleſiae Miniſtros e *Bohemia* migrare juſſerat Rex *Ferdinandus. Intelleximus*, ajunt Vicini noſtri, *magno cum dolore, odio puræ doctrinæ paſtores iſtic ex Eccleſiis eiici, et uagari iam in Exiliis Viros honeſtos et innocentes, pias*